

**Adclamatio votiva, honori
amplissimi et
experientissimi viri, dn.
Eliæ Til-...**

1 Ic 1676 4:o Til-Landz



National Library
of Sweden



ADCLAMATIO VOTIVA

HONORI

AMPLISSIMI ET EXPERIENTISSIMI VIRI,

D^N. ELIÆ L. L. LAND Z/

MEDICINÆ DOCTORIS CELEBER-
RIMI, EJUSDEMQUE PROFESSORIS PU-
BLICI, CUM ACADEMIÆ REGIÆ ABO-
ENSIS RECTOR RENUNCIARETUR

ANNO MDC LXX VI.

XXII. JUNII.

OFFICIOSO ANIMI CULTU ET STUDIO

OBSEQUIO, A SMOLANDIS, REGIÆ
ACADEMIÆ IBIDEM CIVIBUS,

PROPERATA.

A B O Æ,

Impressa à JOHANNÉ Winter.

1676

29



Itiferos inter colles silvasq; virentes
Est locus, ad ripas, spumifer Aura, tuas:
Non illi sua dona Ceres, non Flora ne-
gavit

Veris opes, violas purpureasq; rofas.
HIC FRAGRANS ODOR EST, HIC GERMINA
MILLE COLORUM;

HIC AVIŪ VOCES AURAQ; BLANDA SONAT.

Hic quoque dulce canit, citharam & bene pulsat Apollo,
Agmina Nympharum latus adesse jubens;
Gramineæ mediusque sedens in margine ripæ,
Edit & hos mirâ cum gravitate sonos:

Laudaro placuisse viro si maxima laus est,

QUANTA ERIT AONIO LAUS PLACUISSE CHORO!

Obstupui, retroque ferens vestigia cessi,

Et tacito cupiens hæcce videre loco!

Progreditur Doctor **TRIVANDUS** velut alter Apollo,

Cui data Castalii sceptrâ gerenda gregis:

Salve Sacra dies, latoque relabere cursu,

Quâ datur usque Jovem posse videre DEum!

Non nebulas pluviosque imbres, non murmura venti,
Fas est, tam celebrem contemere diem.

Hoc tua promeruit longo jam tempore virtus,
Et labor & medicâ nobilis arte manus.

Hoc tua promeruit bonitas, doctrina, fidesque,
Jam procul arctois cognita sæpe plagis.

Abogicæ Musæ placidè comitantur euntem,
Svecia te celebrat, Batavus orbis amat.

Te sibi delegit patronum ex pluribus unum
Nostra, patrocínio dedita, musa, tuo:

Atque idem votis sinceri pectoris opto,

Ut tibi qui confert munera tanta DEus,

Idem

Idem restituat firmi tibi corporis artus,
Par oneri imposito sanus ut esse queas!
Efficiat rata vota Deus, sic morbus honori
Cedet, & in patriæ commoda sospes eris!
Te RECTORE, malos ut debita pœna sequatur!
Te RECTORE, boni præmia certa ferant!
Tunc, mihi quicquid erit lingvæ, sermonis & oris,
Promptum erit officiis expositumque tuis.
Interea lætæ currant tibi flamina vitæ!
Meque diu ut possis sospes amare, vale!

TUÆ MAGNIFICENTIÆ.

Humillimus cultor

ANDREAS Boman.

Non possum equidem non maximâ affici lætitiâ, cum in Te, Ex-
perientissime Excellentissimeque, Dn. Doctore, Præceptor sub-
misse colende, novum Rectoratus honorem derivari audierim, ut
cum me intra silentium continere nequeam, totus in vota effundar.
Nec id immeritò. Hic etenim adest dies, qui tibi cum Sceptris
Academicis maximos honores affert; Amicis & Discipulis denique
vehementer congratulantibus. Scilicet ita æquum est fieri, ut, quò
hactenus illustrior, atque clarior fueris, eò plura & manifestiora vir-
tutis & industrie ornamenta in te enitescere facias. Quid verò
de amplissimo tuo munere dicam? Summum est imperium in om-
nes Academiæ Cives. Non igitur verebor ego, salutem Tibi tuen-
dam committere, quod in omni varietate rerum Te moi amantis-
simum cognoverim, quod abs Te tristibus temporibus defensus, se-
cundis ornatus fuerim: Unde necesse est, ut totus tuus sim, & esse
debeam. Tantum dico, tantum Te rogo, velis in posterum, ut ha-
ctenus, me Tibi habere commendatissimum. Quod si feceris, ma-
gnus ad Tuam præstina in me beneficia cumulus accedet. Postremò
Deum Ter Opt. Max. rogo, velit Tibi ex alto benedicere, ut hoc tuum

*Amplissimum munus Tibi felix faustumq; sit, & tandem vergat in
nominis Divini gloriam, Reipublica emolumentum atq; commo-
dum, proprięque nominis Tui gloriam & nunquam intermoritu-
ram laudem! Salve & Vale!*

TUÆ MAGNIFICENTIÆ

addictus cliens

HENRICUS E. TILLANDZ.

Quid referam, Doctor Præcellens, clare Professor?
Quid post, TILLANDZI, carpere laudis eges.
De clarè meritis quæ dudum docta Minerva
Promisit capiti præmia magna Tuo?
Tantus honor sequitur, velut experientia monstrat,
Aonidum Comites Pieridumque duces,
Acria sat quondam studiorum exordia multa
Expertus, succos suaviter inde bibis.
Ampla igitur Tibi sic peperisti gaudia vitæ,
Quæ veniunt meritò, lataque mille modis.
Floreto Rector nostris celebratus Athenis!
Atque vale Favitor, magne Patrone, Fave!

Humillimo adfectu accinebat

JONAS HAGLINUS

Theol. Stud.

Mellificis apibus voluit DEUS astra gubernans
Præficere ut certum Regem, qui duceret ipsas,
Dulcem quò possent florum sibi carpere succum,
Inque favos mellis sapidos conferre laborem;
Sic hominum cœtus voluit Deus ordine certo
Vivere, cum regere, & pariter parere paratos

Recto.

Rectori atqve duci, propriae quod munia fortis
Efficiant, vivant felices tempore longo.
Non solum Martis, quin Palladis undiqve alumnis
Hos tales prodesse Duces, scit quisqve fateri.
Regum hinc nostrorum statuit sapientia summa,
Musarum ut Rector dux annuus esset alumnis,
Imperiumqve gerens moderansqve Academia Sceptra,
Pieridum tribuens cunctis cultoribus æqvum.
KEMPIUS id, Juris præcellens arte Professor,
Præstitit hunc annum, functus tam munere duro.
Qui quia deponit Sceptra atqve insignia tanta,
Hæc recipit Doctor, medicâ promptissimus arte,
ELIAS ~~IZELMUND~~; qui gnarus pellere febres
Et morbos alios, hominum qui corpora vexant,
Herbarum & didicit vires, novitqve probare
Naturas, si quæ præbent medicamina grata,
Corpora quæ sanent, morbis aut vulnere læsa,
Et nocuum virus planè restingvere possint.
Gratulor hanc Spartam Tibi, Doctor, deniqve claram!
Gratulor & nobis cunctis, quos dicere possum
Felices omnes, quibus hæc fortuna reluxit,
Rectorem ut talem coleret Parnassia rupes!
Accipe felici sceptrâ hæc Academica palmâ,
Ac præsis faulto nostris hinc sydere Musis!
Vive diu felix, nostri clarissime Rector
Ludi Palladii! Tibi cedant prospera cuncta!

*Devoto animi adfectu, Tuae Magnificentiæ
humillimus cultor*

adposuit

SVENO M. Dxelgreen!

Republicas dicimus certe beatas, Amplissime ac Experientissime Dn. Doctor, quibus Deus Opt. Maximus pios largitur Reges, virosq; doctrinâ claros & fortes: Namq; Regis ad mores, suos quoq; ordinant Cives. Ne ergo ter beatos nos nominabimus, quorum Regem non pictæ splendor purpure, non aurea solum sceptrâ monstrant vel palatium, sed quem alma virtus, sudoresq; bellici in adhuc juvenilibus annis, pariter ac pacis artes ostentant, Clementia item prudentieq; dotes. Sic castra metatur, ut leges non exulent: sic jura dicit, ne sit vitii locus. Hinc cives habet ex omni ordine gravissimos Doctissimosq; qui superbos spiritus, Tyrannidem, levesq; mores, luxum turpeq; otium linqvunt, & ingenuas optimasq; liberales artes atq; scientias doceant & profitentur. Quorum è numero Te compellare audeo, Excellentissime & Experientissime Dn. Doctor, qui non tantum Medicinam, non sine fructu, in hoc celeberrimo Athenæo professus es, sed ejus etiam hodie Magnificus salutaris Rector. I: Magnificus hoc honoris præmium dudum meruit, quod juvenis tot Regna, tot Urbes, tot Academiâs lustravit, & tandem ab Exoticis gratissimas domum reportavit merces, quas nec furum improba manus subtrahunt, nec invidum tempus atterere potest. Auspicatò hic proinde nobis illuxit dies. Plaudite itaq; singuli! Sis salvus & sospes Magnif. Dn. Rector, qui cives hujus Academiâe futuro jam Anno reges! Vides, quomodo te fugientè sequitur Honor, qui virtutis est umbra. Salve, inquam! quem non pictæ purpure pallium solum, & candètia sceptrâ monstrant, sed alma illa virtus. In te benevolentia summa promovendorû studiorû sita est. D: Opt: Max: supplex veneror, ut Reip. bono, Academiâe maximo emolumento, studiorum etiam meorum indubitâtissimo subsidio, in multam etatem vivas. Vale!

TUÆ MAGNIFICENTIÆ

applausit humillimus discipulus
GUNNARUS Grahn

Inter gratulantium vultus, totque fausta apprecantium ora, mea quid
taces observantia. Exsurge, & si non prolixâ verborum serie, debitâ
tamen & piâ mente hos tantosque honores. *Experientissimo & Excel-*
lentissimo Dn. Doctore gratulare! Quippe, ex præscripto *S. R. M. &*
Amplissimi Senatus Academici decreto, Sceptra Academica hoc die ac-
cipit magnâ cum pompâ, honore & omnium latissimo applausu, no-
striq; ordinis & cætus Rector creatur Magnus. Quam provinciam,
licet in se gravem & molestam, laudatissimam tamen Tibi, Dn. Doctor,
contigisse, non secus ac debeo, toto animo lætor. Nec more aut aliâ
consuetudine solâ trahor, sed, ut pro multis in me collatis beneficiis de-
bitæ observantiæ & gratitudinis signum & testimonium relinquam.
Deum igitur unice in vota voco, ut suscepto muneri amplissimo felici-
ter præesse queas, & ab omnibus malis, non solum hoc anno, dum sce-
ptra tenes Academica, sed & reliquo tempore vitæ Tuæ, salvus & incolu-
mis vivas, quo Te quàm diutissimè frui contingat! Sic vovet & exoptat

Tua Magnificentia

addictissimus

JOHANNES P. WICKENBERG.

Quam decet hos meritò quovis ornare tropeo,
Atque omni cultu, quos voluere Deus
Et fors, terra regnis prædesse regendo,
Inter mortales erigere atq; caput.
His honor est magnus, simul æquè magna potestas;
His debent homines obsequiumque piùm;
Certaque sunt cordis devoti Symbola danda,
Rectori facere id Magnificoq; decet,
ELIÆ TILLANDI Doctore, Academica Sceptra
Vertentem in annum qui capit hocce die,
Quin pergam pariter, reliquis parere paratus,
Votaque concipiam pectore præcalido!
Carmen funde novum Clio, felicia quævis
Optans Rectori! ceu precibusque rogo

Sollis.

Sollicitis, noster sub hoc sit sidere catus
Palladius semper saluus & incolumis!
Hæc sit fausta dies, voluit quæ summus Apollo
Te Musis nostris præposuisse Ducem!
Insuper & voveo, sit nobis hora beata,
Quæ capis hoc munus, quod tibi jure venit!
Promotor valeas studiorum magne meorum!
Denique fac videam vel radiare faces
Exiguas in me vestra placida bonitatis!
Hocce tuli votum, vive valeq; diu!

devotioni testandæ, obsequenti-
mus properabat

LAURENTIUS N. WIETIUS.

DOCTOR ELIAS TITLANDZ/

per Anagr. mutato d. in t.

SOL. ARDET. TITAN. COLLIS.

Pulsa est Acris hiems terris, pars temporis anni est,
Dum medio TITAN ARDET in orbe poli.
SOL Heliconis item cedit, novus à Jove surgit,
Parnassum justâ qui ratione fovet.
Salve, iterum salve, salve! nitidissime TITAN
COLLIS castalii culmina docta fove!
De Te nunc modulor, Doctor Clarissime TITLANDZ/
Cui sacra scepra nitent hęc Helicone sacro!
Te veneror, quoque te memorabo laude perenni;
Ore ac corde vovens: vive patrone diu!

SON-

S O N N E T.

D. Er güld'ne Phœbus hat mit Ruhm vor vielen Jahren
 Euch/ Doctor Hochgeehrt / geziert mit einem Kranz;
 Lob hoher Wissenschaft hat Euch geführt zum Tanz/
 In welchen Götter sich zugleich mit Menschen pahren.
 Appollinische Kunst der Kräuter Kräfte und Leben
 Seyn Euch ganz offenbahr/ O Phœbi lieber Sohn/
 Titanis wehrter Freund; Auf einen schönen Thron
 Iest aller Musen Schaar Euch wil mit Freuden heben.
 Laß't nun das Senten-Spiel erschallen in die Welt/
 Laß't klingen die Music biß an des Himmels Zelt/
 Auf Götter und Göttin'n/ und treibet weg all Leide/
 Nehmt weg daß niedrige / und gebet ewre Gaben/
 Die / so Ihr allezeit pflegt außzuthailen haben /
 Zwing't alle Traurigkeit/und schenck't in wahre Freude!

ANNO, qvo dixi,

Vige & VIVE ELIA TILLANDz, parrone gravISSIME!

T U E Magnificencia

ad fideliss. obsequia devinctus

JOH. KANKEL
 Gedanensis.

In tantâ adplaudentium turbâ, flere nec potui nec debui; sicut me par erit latitiâ votisq; omnibus hujus diei celebrare solemnitatem, quæ venerabile caput sacrâ Tiarâ, corpusq; Togâ cinget. Et hoc quidem non immeritò. Nam animi tui dona se intueor, ad eruditionem factus es & comitatem. Si ingenium, verè dicam cultissimum illud; ceu est in te lauta linguarum, artium & scientiarum suppellex, quibus mihi quasi innatus & innutritus videris. Sed nè blandiri videar, libo tantùm hoc laudum tuarum limen, non penetro. Qui sis, dies jam dicit, in novâ hâc, quam sustines, provinciâ. Hic etenim dies est, quo **RECTORATUS** honorem ac officium, in Academiis longè eminentissimum, in Te excipies. Sic industriam gloria ornat, quæ latens paulisper cumulator subinde redit. Quid enim, quæso, honorificentius Tibi unquam evenire posset, quàm Academiam & Cives ejusdem, ex omni ordine, Nobilissimos, Doctissimos, cæteraque ejus membra, gubernare & regere? Quo nomine Rectoriam dignitatem Tibi, unâ cum meis Comilitanibus, Academia hujus Civibus impigerrimis, jure gratulari conveniat. DEum supplicibus precibus implorare non intermitto, ut sub hocce Regimine singula quæque in Dei Opt. Maximi gloriam, Reipub. literaria emolumentum, Tuum denique proprium decus & commodum vergant! Sic vovet

Amplissimæ Dignitatis Tuæ

additissimus Client

ZACHARIAS A. HORNÆUS,

EN, nova cur mundi facies? cur aurèa celo
Clarius astra micant? rarâ quid luce venustas
Nereides ducunt hilares ad plectra chorèas?
Quid Varnus pater accumbens in margine ripæ,
Carmina læta canit? Nostrâ quid totus in urbe
Pieridum chorus insolito stimulatur ab æstro?
Quid rosa tam pulchrè fragrantem spirat odorem?
Fallor, an expectata dies eluxerit, in quâ
Accipiet Doctor **TULLIUS** Academica sceptrâ.
O lux, ambrosiis exoptatissima Musis!
Quisnam hunc Musarum talem Phœbique patronum
Insignem, sophiæ decus hinc svadæque disertæ,
Quis celebrare vetet, cui sit bene cognita virtus?
Salve igitur, captisqve libens nunc annue nostris!
Salve iterum, qui lux patriæ, tum gloria certa es.
Abogiæ, fulges insignis ab arte Machaon!
In te mellifluæ dulcissima flumina lingvæ,
Quæ scimus patriæ gratam spectare salutem.
Diligit illa tuæ non vana negotia curæ,
Commendat teqve officiis & honoribus auget,
Hinc quoque perpetuò Musarum munere vives;
Nec nomen laudesqve tuas annosa vetustas,
Ulla nec ætatum series, aut tempora lædent.

Magnifico **RECTORI**

adprecatur

PETRUS Grätman.

Dum connitamur, studiosa lance Minerva
Et simul ex animo, pendere cuncta pio:
Hoc non est minimum summi Rectoris Olympi,
Quod tribuit nobis, largus amore, bonum;
Quilibet ut cœtus vivant simul ordine recto,
Rectoresque habeant, quos & honore colant.
ELIAS TILMANNUS Medica expertissimus artis,
Præcellens Doctor, præsiturque gregi
Musarum nostro Rector gratissimus omni;
Parnassi manibus plaudit & ordo sacer.
Ingentem in semet voluit transferre laborem,
Palladis ut cœtum denique dirigeret.
Æternam mentem calido nunc invoco voto,
Accidat ut fausto sidere sparta tibi!
Inclinet placidè in laudem cultumque Jehova,
Solamen patria, tum decus omne tuum!
Sancto te semper donato flamine Jova!
Et vivas felix secula Nestorea!

humillimo adfectu accele-
rabat

ANDREAS FORNANDER.